Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 141
Quelle:
Copyright:

ptum: *E Maria Magdalena*, unde convalescit conjectura, quam ad *Evangelium S. Matthaei* hoc eodem modo glossatum prodidi: in Sacello *M. Magdalenae*, quod olim penes D. *Stephani* fuit, Supellectilem quandam similium sacrorum Codicum servatam fuisse.

XCIV.

R. 56 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 56. f. min. eleganter perscriptus columnis tribus, quarum media charactere grandi textum, extremae minuto glossas exhibent, est *Evangelium S. Johannis* litera initiali cubitali et lineis 2. primoribus deauratis, picturatisque, lineis omnibus ad Glossam *interlinearem* recipiendam laxis, et Glossae *ordinariae* compendio ad latera adstituto. Fronti inscriptum: *Sancti spiritus adsit nobis gratia. Inuocate* (Invoco te) *uerbum, per quod sunt cuncta creata. Da mihi notitiam de te, da mihi* (redundat) *scribere uera.* Lectio Textus emendata, Divisio in Particulas indicata literis capitalibus miniatis. Ad oram inferam *fol.* 1. Scutum area rubra, fascia obliqua a dextra ad sinistram caerula auro tessellata, quod Familiae est Possessoris ad calcem Codicis ita manu propria notati: *Marinus Tomacellus emit amicis eque ac sibi.* Fuit vir hic nobilis *Neapolitanus* ab *Innocentio* VIII. a. 1485. creatus Episcopus *Cassanensis* in citeriore *Calabria*, carus Regibus *Ferdinando* et *Alphonso* II. cujus inaugurationi etiamnum a. 1494. interfuit. Nec plura de eo *Ughellus Ital. sacrae* T. IX. p. 350. qui perperam *Martinum* adpellat.

XCV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3028
XIV. Folior. 54. f. pariter eleganter tribus columnis ad eundem modum scriptus aliud *Evangelii Johannis* Exemplar est, olim *monasterii sancte dorothee vienne.* Folio *ult.* monetur: *Hoc folium debet a principio stare;* et recte, continet enim, ut in *Bibliis glossatis Prologum Hieronymi in Job.* dein Praefationem Incerti in *Tractatus Augustini super Job.* quae extat Edit. *Maur. Opp. Aug.* T. III. P. 2. col. 287. in *Bibliis* vero *Glossat.* audacter ipsi *Augustino* inscripta est, demum quaedam e *Postillis Lirani*, et principium *Glossae ord.* in *Job.* Pagina vero *ult.* legitur: *Iste liber est Johannis motardi in rupella camor — — — Presbiteri.* Et mox: *Hunc librum testatus est monasterio sancte dorothee Honorabilis vir d. Johannes presbiter et capellanus a.* 1437. Hic si idem sit cum praecedente, et *Rupellam* gallicam intelligi oporteat, bene peregrinatum fuisse hunc Codicem fateamur.

XCVI.

Codex membraneus lat. Sec. U. 61
XIII. Folior. 70. 4. per tres columnas exaratus continet *Evangelium S. Johannis* ita, ut mediam occu-